

ræ. Et ita sane est: sed postea dulces factæ sunt, eo quo dicemus modo. Sed Aristotelem prius discutiamus. Qui longissimis tribus capitibus de mari disputans, quædam pauca recte, plura docuit perpetam. Inter hæc disputatio de maris salsedine, et amaritudine, est. De qua re primo dicit. A Sole tenuiores, et dulces, potabilesne partes, sursum tolli ob levitatem, falsus relinquitur ob gravitatem.

Τὸ μὲν οὖν πότιμον, καὶ γλυκὸν πᾶν ἀνάγεται διὰ κουφότητα, τὸ δ'ἀλμύρον υπομένει διὰ βάρος.

“Quod potabile quidem est, ac dulce, totum sursum ducitur ob levitatem. Salsum vero restat, ob gravitatem.”

Quam sententiam, uti sibi placentem, ne oblivio, obliteraret, repetit sæpius. At hoc non est, reddere causam, propositæ quæstionis. Cur mari salsugo insit. Interrogari enim potest. Id ipsum falsum quod remanet, quam ob causam falsum est? A principio ne ita fuit, an postea ei inditum? Adventicia ne mari qualitas est, et non innata? Si innatam esse dixerit a principio. Causam frustra et varie quaerit. Si adventitiam dixerit; recte causa ei erat indaganda. Sed causa, eius salsitatis, non est ea quam reddit, quia salsum remanet, id enim foret, principii petitio. Vidit hoc sagax homo. Ac primo aliorum opinionem recensuit, dein suam induxit. Si aliunde causa venit, dicimus non necessario, vel a cælo, vel ab aere, vel ab alia aqua, vel a terra eam venire, vel ab horum pluribus. A terra venire, sensisse quosdam refert, sed non nominat.

Ἀλλὰ μὴν, καὶ ὅσοι τὴν γῆν αἰτιῶντα τῆς ἀλμυρότητος ἐμμεμιγμένην γὰρ ἔχειν φασι πολλοὺς χυμοὺς αὐτὴν, ὥσπερ ὑπὸ τῶν ποταμῶν καταφερομένην διὰ τὴν μίξιν, ποιεῖν ἀλμυράν.

“Sed enim, et quicumque terram causam esse putant salsitatis, immistos enim ipsam habere dicunt sapes multos, ita ut a fluminibus delati, ob mistionem faciant salsum. (mare)”

Quam quidem sententiam facile redarguit. Cur enim fluvii eam deferentes, falsi non fiunt? Suam deinde apponit, ex duplici illa, vaporis humidi, et exhalationis siccæ, elevatione in aerem per Solis attractionem. Inquit enim. Nos vero dicamus.

Ἐπεὶ γὰρ κεῖται διπλὴν εἶναι τὴν ἀναθυμίασιν, τὴν μὲν ὑγρὰν, τὴν δὲ ξηρὰν: δῆλον ὅτι ταύτην οἰητέον ἀρχὴν εἶναι τῶν τοιούτων.

“Nam positum iam est, duplicem esse exhalationem, hanc quidem humidam, illam vero siccam, clarum est, quod, hoc esse principium talium rerum putandum est.”

Nos vero siccam exhalationem nullam in natura fieri posse ostendemus. Salsitas ergo maris, ut ipse vult, a sicca exhalatione, quæ nulla est, non proveniet. Sed veritatis cognoscendæ causa donemus eam exhalationem fieri posse, et fieri. Quid tum postea. Addit. Πειρατέον δοῦναι τὴν αἰτίαν, καὶ περὶ τῆς ἀλμυρότητος. Φανερόν δὲ διὰ πολλῶν σημείων, ὅτι γίνεται τοιοῦτος ὁ χυμὸς, διὰ σύμμειξιν τινὰ.

“Tentandum dare causam, etiam de salsedine, clarumvero est permulta signa, quod talis sapor fiat per commistionem quandam.”

Idque probat, exemplis sudoris, cineris, urinæ. Esto. Infert ergo ex his.

Ὡσπερ γὰρ, καὶ ἐν τοῖς εἰρημένοις, οὐτῶ καὶ ἐν τῷ ὄλῳ, ἐκ τῶν φυομένων, καὶ γιγνομένων κατὰ φύσιν, ἀεὶ δεῖ νοεῖν ὥσπερ ἐκφυρομένων, τὸ λειπόμενον τοιαύτην εἶναι τὴν γῆν.

“Nam sicuti in dictis, sic et in universo, ex iis rebus, quæ nascuntur, et fiunt secundum naturam: semper oportet cogitare, tamquam ex adustis quod reliquum fit, talem esse terram.” Et modum subdit.

Μεμιγμένης δ'οὔσης, ὥσπερ εἶπομεν, τῆς τε ἀτμιώδους ἀναθυμιάσεως, καὶ τῆς ξηρᾶς, ὅταν συνιστῆται εἰς νέφη καὶ ἡδωρ, ἀναγκαῖον ἐμπεριθιλαμβάνεσθαι, τὴν πλῆθος ἀεὶ ταυτῆς τῆς δυνάμεως, καὶ συγκαταφέρεσθαι πάλιν ἐν τοῖς ὑετοῖς, καὶ τοῦτο ἀεὶ γίνεσθαι κατὰ τάξιν.

“Nam cum sit mista, uti diximus, vaporosa exhalatio et sicca, quando constantur in nubes et aquam, necesse est, in simul compræhendi, aliquam multitudinem semper huius potentiae, et deferi rursus in imbribus. Et hoc fieri semper ordine.”